



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

CLL. VV. Stephano weymsio Et Gerardo Corselio I. V. Consultis &
Antecessoribus I. Lipsivs S. M. D.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

CLL VV.
STEPHANO WEYMSIO
ET GERARDO CORSELIO

I. V. Consultis & Antecessoribus

I. LIPSIUS S. M. D.



EGI avunculi vestri Clⁿⁱ. viri CONSILIORVM partem, quam editioni paratis, & legi cum voluptate. Et si enim aliorum nunc propriè sim studiorum; tamen juvat & illa regustare, sic ordine præsertim, distinctè, & dicam etiam (ut res patitur) dilertè scripta. Certè docta sunt, & è plenâ quadâ luris scientiâ hausta: cui veteranum licet usum addamus, ex assiduâ in scholâ & foro talium tractatione. Avunculum ego vestrum adolescens novi, & amicum sensi: virum animi, judicij, consilij semper magnum. Nam de doctrinâ, Schola hæc tota etiam nunc dicit, & dicent exteri, qui beneficio vestro scriptis his ejus alijsque fruentur. Ut autem fruantur, per ego vos illius benevolentiam & affectum in vos paternum rogo date operam. Tu imprimis, ut hic cœpisti, Cl^{re}. VVEYMSI, & hoc CONSILIORVM utile & pulchrum corpus dispositum à te & recensitum, divulga. Benè de posteris, benè de justitiâ ipsâ mereberis, quæ claritudinem & firmitatem ab hoc suo Antistite est acceptura. Salvete, & hoc agite. In Museo nostro, III. Non. Januar. ∞. 1600. IV.

CLARISS VIRO
D. STEPHANO WEYMSIO
V. I. D. ET PROFESSORI
HENRICVS VWENVS I. C.

ANTVERPIENSIS, POST GELDRIÆ

CANCELLARIVS.

CLARISSIME DOMINE



PER GRATVM mihi fuit ex Georgio filio meo intellexisse impressionem Consiliorum Clarissimi I. Cⁿⁱ. Domini WAMESII, Præceptoris quondam nostri, eductam esse, ut propediem lucem visura sit. Nam quæ hætenus D. T. mihi communicavit talia sunt, ut non immeritò reliquorum desiderium commoveant, siue profundam juris cognitionem, siue judicij acrimoniam, siue descriptionis elegantiam & perspicuitatem aspicias. Addo quod quæ his Consilijs tractantur, quotidianum usum fori habent, & in assiduâ rerum humanarum actione versentur. Quamobrem Viri apud nos primarij, quibus cum hæc talia conferre soleo, admodum mirati sunt, hunc tantum thesaurum, hætenus in publicum non fuisse productum. In quo non nostrates tantum, sed exterarum nationum Iuriconsulti habebunt quod admirentur, imò & imitentur, ut clientibus

Kkk 2

suis